



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **R. P. Lvdovici De Ponte, Societatis Iesv, Meditationvm De Praecipvis Fidei Nostrae Mysteriis**

Vitae Ac Passionis D. N. Iesv Christi; B.V. Mariae, & aliquorum Sanctorum  
Qvae Historiam Complectitur vniuersæ Paßionis Dominicæ

**Puente, Luis de la**

**Coloniae, 1614**

Med. 16. Quod Christus in Cœna dixerit: vnus vestrum me traditurus est;  
& Iudas ad id perpetrandum exiuerit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54653](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54653)

ciamus, supplicantes Domino nostro, vt ut  
nobis auxilio, ad eas res ipsa exequendas. O  
Deus virtutum, qui memoriam fecisti mirabi-  
lium tuorum, dans te ipsum escam timentibus  
te, concede mihi ita hæc mysteria meditari  
& recipere, vt clarissima tua imiter exempla.  
Amen.

MEDITATIO XVI.

CHRISTVS IN COENA  
dixit Apostolis, quia vnus vestrum  
me traditurus est; & Iudas, ad  
id scelus perpetrandum,  
exiuit ab eis.

PVNCTVM I.



ISCUMBENTE IESV <sup>a</sup> Matt. 26.  
cū duodecim discipulis suis, 21.  
& edentibus illis, <sup>b</sup> turbatus <sup>b</sup> Ioan. 13.  
est spiritu, & magno sensu 21.  
protestatus est, & dixit: Amen  
amen dico vobis, quia vnus  
ex vobis <sup>c</sup> qui manducat mecum & a intingit <sup>c</sup> Luc. 22. 21.  
mecum manum in paropside, tradet me. Et d <sup>d</sup> Marc. 14.  
a <sup>d</sup> 18.  
filius quidem hominis vadit, vt moriatur; sic-  
ut scriptum est de illo: <sup>a</sup> autem homini illi, per  
quem filius hominis traditur: bonum erat ei, si  
natus non fuisset homo ille.

I.

PRIMUM considerandum hic causam turbationis & interni Christi sensus fuisse, quod Iudam videret inter suos hominem peruersum, impenitentem, & reprobatum: qui, etsi solus esset, sufficiebat tamen ipsum turbare, contristare, ac eius diluere gaudium, quod cum bonis & electis habebat: non quod ipse hominem, propter seipsum odisset; sed quod summe detestaretur eiusdem iniquitatem; & nominatim ingratitude, ad tanta accepta beneficia, quam voluit ipse Dominus grauissimè aperire, cum dixit: *vnus ex vobis*, quem ego in Apostolum meum elegi, cui mea secreta patefecit, & potestatem dedi patranda miracula cuius pedes nunc laui, & corpus meum ad edendum, sanguinem verò ad bibendum dedi: & *mecum intingit manum in paruo sice*, & eodem calice bibit: *hic me traditurus est in mortem*. O bone IESU, non mirum, te spiritu turbari, & sponte accipere hanc turbationem & tristitiam, cuius horrendum adeo crimen est motiuum & causa! poenitet me, Domine, causæ, quam ego, ingratitude mea, tuæ tristitiæ præbui, sed auxilio tuo statuo certo, me velle emendare.

II.

DEINDE perpendendæ sunt causæ, ob quas Christus Dominus noster, hæc verba coram Apostolis omnibus dixerit PRIMA enim fuit, ut omnes intelligerent, ipsum esse Deum, & omnium corda cognoscere, & qui aduersum se machinarentur: quæ noticia, circumstantia quædam erat, eius labores aggrauans, iuxta

illud

illud Sapiētis : *que addit scientiam, addit & laborem.* Quia tamen noticia non ad ultionem suorum inimicorum utebatur ; sed ut plus in suis laboribus pro illis pateretur. SECVNDA causa, eaq; valde singularis, fuit eius de Iuda commiseratio : Cupiebat enim eum reducere ad meliorem mentē, tribus ad id rationibus adductis, efficacissimis ad quemuis peccatorem conuertendum. PRIMA ratio fuit, quia illum monuit, se consciū esse occultarum eius cogitationum & operum iniquorum : ac propterea, se Deum esse, & iudicem ipsius, cui nihil esset occultum, SECVNDA qua eius dissoluti deceptionem, cui peccatum illius innitebatur, ut enim supra insinuanimus, Iudas scelus suū sic excusabat: quod siquidem CHRISTVS Dominus, tunc temporis erat moriturus per manus persecutorum Iudæorum, non multum illi noceret ipse eisdem illum tradens ; ut posset quoque aliquod inde emolumentum accipere. huic inquam Iudæ cogitationi & excusationi respondit CHRISTVS : *filius quidem hominis vadit, sicut scriptum est de illo, veruntamen pater homini illi per quem tradetur :* atque si clarius diceret : decretum patris mei, de morte mea, non te cogit, ut me in mortem tradas ; liberum enim tibi manet, id non facere : quare quod facere velis, id tu tuæ culpæ tribuas. TERTIA ratio fuit, horrendas illi minas proposuisse: *bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille, quā tali se culpa maculare,*

1.

2.

3.

propter quam ad æternum ignem damnatus, optabit se non esse, ne talibus tormentis crucietur: quod tamen illi non concedetur. His tribus rationibus permotus, ego contremissem ad quoduis lethale peccatum; siquidem nec occultari illud Deo potest; nec alteri causæ, quam peruersæ meæ voluntati tribuit: estque adeo grande malum, ut præstaret non esse, quam, propter illud admissum, æternum damnari.

## PUNCTVM II.

**D**EINDE considerandum, quid cæteris Apostolis, ex hac Christi sententia euenit, quidque ipse Christus circa hoc effecerit. Primum enim a contristati valde ceperunt singuli dicere, nunquid ego sum Domine? In quo apparet, bonarum esse mentium, culpam timere, etiam ubi non est: nam ob amorē, quo Deum diligunt, adeo peccatum auersantur, ut nec eius umbram videre, nec vestigium eius ullum in se inueniri, audire uellent. Utinam adeo cordi meo Christi amor esset infixus, ut vel ea cogitatione tremere, quod possem illum aliquando offendere.

I.  
a Math. 26  
22.

**II.** DEINDE Christus Dominus noster, consueta sua charitate & providentia, voluit proditorem, qui adhuc erat occultus, nominatim promulgare; ne etiam occasionem Apostolis daret, turbationis & iræ cōtra eum: hoc exemplo nos docens: tum, quod in nobis est, occultare

tare

care proximorum peccata; quamuis mox alia  
 via sint manifestanda; tum etiam omnem di-  
 scordiarum & turbationis occasionem in cō-  
 munitate, in qua sumus, remouere. Solum au-  
 tem hominem patefecit duabus personis, qua-  
 rum VNA fuit ipsemet Iudas, qui, vt suum de-  
 lectum occultaret, impudentissimè vt alios  
 interrogantes audiret: interrogauit & ipse: **b** *b Matt. 26.*  
*numquid ego sum Rabbi?* At Christus Dominus *25.*  
 absq; vlla in impudentem hominem indigna-  
 tione, aut iniuria vlla prolata, mansuetissimè  
 voceque ita submissa, vt alij non audirent, *c* *Ioan. 13 26*  
*ait illi, tu dixisti.* Atque si diceret, tu es qui me  
 trades; & propter te hæc omnia dixi: adhuc  
 est tibi tempus poenitendi, si vis: & ego tibi  
 remittam. ALTERA fuit persona, dilectus  
 Ioannes qui super eius pectus recumbebat, vt  
 esset testis charitatis, qua erga Iudam uteba-  
 tur: dixitque illi: *c ille est, cui ego intinctum*  
*panem porrexero: & cum intinxisset panem,*  
*dedit Iudæ Simonis Iscariotæ.* Est autem cre-  
 dendum, dedisse illi panem comiter valdè  
 magnisq; amoris signis, sicut mater solet fi-  
 lio, aut amicus amico sibi familiari & dilecto:  
 vt hinc appareat, quousque peruenerit chari-  
 tas Christi, qui etsi turbatus, & contristatus  
 fuisset, ob huius hominis scelus & proditio-  
 nem, non propterea destitit indicia illi a-  
 moris ostendere; vt à malo proposito reuo-  
 caret. Gratias tibi Saluator benignissime, qui  
 non cessas nec defatigaris *d* *Pran. 25.*  
*super caput eius, qui ad eò te odit, ad eò bene-*  
*26.*

## III.

uolè bolum intinctum ei porrigens, quo eius cor emolliretur, & ad mentem rediret.

## PUNCTVM III.

**C**ONSIDERANDVM tertio, infelicem Iudam accepisse quidem bolum de manu Christi Domini, sed cum magna in proposito suo malo pertinacia, & obstinatione: atque si diceret intra seipsum, etiam si amplius mihi indulgeas, ego tamen te tradam & pecuniam recipiam, quam propter te perdidisti. In poenam autem huius obstinationis duæ horrendæ poenæ illum sunt subsecutæ.

**I.** PRIMA poena fuit, quod permissus fuerit Satanas post bolum in illum intrare. Bis autem Satanas ingressus est in Iudam, *primum*, ut ipsum induceret ad vendendum Christum Dominum, cuius suggestioni acquiescens *abijt* a ut superius est dictum, & *locutus est cum Principibus sacerdotum, dicens: quid vultis mihi dare: & ego eum vobis tradam?* Deinde, ut prodicionem suam diligenter exsequeretur, *urgenseum*, ut è coenaculo egrederetur, & pergeret executioni mandare traditionem, quam fuerat machinatus. Hoc autem accidit illi, postquam intinctum bolum acceperat: ut hinc discamus, quàm sit periculosum, deliciis Dei, & signis amoris eius erga nos, abuti; ac porro periculosissimum, malè dispositum, & cum aliquo peccato lethali, panem hunc vitæ accipere, intinctum in sanguine

a Luc. 22. 3

b Matt. 26.

14.

ne preciosissimo, qui in ipso continetur, nobisq; in signu perfecti amoris Christi erga nos datur. Na in poena huius temeritatis & ingrati- tudinis, post plumbolum, ingreditur Satanas, & cordis capit possessionem, q; postea ad innumera & horreda peccata instigat & vrget

SECVNDA poena fuit, quod ei dixit Christus: *quod e facis fac citius*, quod perinde fuit, atq; illum deserere, & in sua manu illum relin- quere, permittendo peruersam suam vo- luntatem implere. Atq; si diceret: haecenus te in comitatu meo, & in hoc cenaculo te reti- nui saepe tibi indulgendo, & gratis ac fauoribus te prosequendo, quod te peccati tui poeniteret: sed quandoq; idem tu id non vis, ma- num ego meam a te subtrahō, & exire permit- to, vt quod tu desideras, exsequaris: ac pro- pterea *quod facis fac citius*; nam ego magis appeto mori, quam tu me tradere ad mortem. O charitatem IESV immensam! o duritiem Iudae diabolicam! quantumuis desideret Iudas IESVM vendere, multo amplius IESVS vendi desiderat, tradiq; ad mortem, vt ipsum etiam Iudam saluet, at cum iniquitas eò peruenit, vt resistat caritati, accedit toror eius iustitia, vt iniuriam vliscatur, iudicatq; deserendu esse eum, qui obstinate curari voluit, iuxta illud Prophetæ, *curauimus d Babylonem, & non est sanata: derelinquamus eam.* Tu igitur anima mea, misericordiam e & iudicium Deo tuo can- ta: vt, si misericordia te non inclinauerit ad bonum, iudiciu retrahat a malo, & extorqueat

II.

c Ioan. 13. 27

d Ier. 51. 9.

e Psal. 100. 1

timor



timor iusti iudicis, quod non obtinet amor patris misericordis.

## PUNCTVM IV.

a IOAN. 13. 30

**P**ERPENDENDVM quartò, hac permissione Christi Domini, a continuo exiisse Iudam ex coenaculo, & Christus Dominus dixit: nunc clarificatus est filius hominis: & Deus clarificatus est in eo si Deus clarificatus est in eo, & Deus clarificabit eum in semetipso & continuo clarificabit eum.

I. HIS verbis duo, quæ magnam consolationem nobis afferre possunt, nos Christus docere voluit. PRIMVM est, quod exeunte Iuda, ipse maneret glorificatus, eò quòd eius schola & grex, purus remaneret & sanctus; sicut fiet in die Iudicij, cum ipse valde glorificatus, ad iudicandum veniens, malos separabit de medio iustorum & electorum. Sicut ergo ipse Christus turbatus, & contristatus fuit, quod Iudam inter suos electos videret; ita nunc exultavit, & glorificatus est, videns illum discessisse. O si talis essem, ut Christus glorificaretur, me in sancta sua societate permanente. Ne Domine, patiaris eò usq; peccata mea pervenire, ut honor tibi sit & gloria me ab schola & societate tua expellere.

II. ALTERVM fuit, quòd illo Iudæ exitu, initium iam dabatur passioni, propter quam ipse Christus erat glorificatus: gloriam enim suam ipse reputabat, mori pro gloria Patris sui;

&amp; Deus

& Deus glorificabatur in ipso; & ipse erat glorificaturus: tum miraculis multis in passione, tum gloria resurrectionis. Ex quo intelligimus, quibus oculis Christus Dominus noster suas ignominias aspiceret; quas gloriam suam appellat; quibus etiam oculis aspiciat suorum electorum contemptus, in quibus ipse glorificatur, & propter quos, illos ipse glorificat, summoque honore afficit: ut ex hoc ego discam b *gloriarī in contumelijs, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustijs* pro Christo, qui glorificatur dum ego patior, & propterea ipse me glorificabit. Quare e *gloriarē, anima mea, cum Apostolo, in tribulationibus, & in cruce Domini nostri IESU Christi* in eis siquidem & per eas Christus glorificatur: cui sit honor & gloria in sæcula, Amen.

b 2. Cor. 12.

10.

c Gal. 6. 14.

